Datum Romae, 17 mensis Decembris A.D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

GIENNEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Emmanuelis Lozano Garrido Christifidelis laici (1920-1971)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollit a vobis » (*Io* 16, 22)

Servus Dei Emmanuel Lozano Garrido sicut stella in firmamento christiani laicatus elucet, cum indoles eius humanarum virtutum ferax, constans perfectionis studium in voluntate Dei adhaerendo, strenuus orationis et oblationis spiritus, sincerus filialisque amor erga Virginem Mariam, benigna navitas in Actione Catholica, apostolatus fecundus praesertim in communicationibus socialibus, gaudium simplicitate etiam in diutina infirmitate refertum, aerumnae in communione cum Iesu crucifixo acceptae, facilitas iniurias ignoscendi, mite eius et validum testimonium in omnibus adiunctis datum ac mors, denique, aequo animo excepta exemplar eum reddant imitationi omnium sectatorum Domini in diversis condicionibus vitae exhibendum.

Servus Dei Linariae in Hispania, in dioecesi Giennensi, die 9 mensis Augusti anno 1920, quintus ex octo filiis, e familia authentice religiosa et, quoad socialem condicionem, quaestuosa natus est. Praecox mors patris, autem, quae ineluctabiles praestitit effectus quod ad sensum affectationis et ad rem familiarem attinet, primum perlongi tirocinii in tribulationibus fuit discrimen, cui Emmanuel subiit. Tempus tamen infantiae et adulescentiae, avi materni curis traditus, in tranquillitate degit et in sueto cursu ludorum, studiorum, agnitionis naturae, catecheseos, participationis sacramentorum, culturalium ac socialium pulsuum. Post mortem avi ac matris recentioresque experientias scholasticas et culturales, eventus quidam magni momenti iter spirituale Servi Dei collustravit, scilicet adhaesio eius tamquam aspirantis in Actione Catholica.

Apicem eius adulescentiae nova ac omnium miserandissima familiaris afflictatio signavit, id est nex fratris maioris in adiunctis persecutionis religiosae quae praecessit et flagravit annos belli civilis in Hispania (1936-1939). Exinde Emmanuel improviso proiectus est quasi in receptaculum odii ac incivilitatis, quae annos illos foedavit, neque ex humiliationibus discidioque familiae et reclusione religionis causa est elapsus. Verumtamen ipse semper in fidelitate

et constantia perseveravit, ut omni ope ac studio in proximum spem instillaret, adflictos consolaretur, mirum apostolatum eucharisticum ageret, praesertim cum, ad instar novi Tarsicii, corpus Christi clam aegrotis afferebat; qua de causa in catenis, ut dictum est, fuit immissus. Cum, Decimum octavum tantum explens aetatis annum, dum esset in vincula coniectus, ad arma vocatus est, ne ullus quidem in eo ultionem vel iracundiam animadvertit. In fine autem belli primis molestiis rheumaticis, quae erunt futura crux Servi Dei, laborari incepit.

Annis bellum insequentibus, non modo in studium et laboris quaestum, sed etiam in apostolicam navitatem intendit. Praeter operas Actionis Catholicae, ad sedulum negotium scriptoris diurnalis et litterarum periti se contulit, in quo omnem culturam et sensum suum christiano specimine vitae ministravit: historia, fabulae, spiritualitas, poësis, res politica et culturalis in stilum intercursant, qui, nullam spernens gratiam formalem, gravia religiosa ac moralia argumenta acriter insistit. In aerumnas mundi valde intentus, doctrinam socialem Ecclesiae peculiari modo uti firmum civilis conversationis regimen ferebat.

Benigna consilia Dei Emmanuelem autem ad missionem etiam maiorem inducebant. Dilectus filius iste Linariae singulari impetu doloribus Servi Domini, Filii dilectissimi Patris, se sociavit. Nam, rheuma illud, quod annis iuventutis inceperat, in dies comes vitae factus est: infirmitas causa eius sanctificationis, passio cathedra eius. Dum infirmi semper peculiari privilegio amicitiae eius gavisi erant, ipse nunc paralyticus in sella cum rotulis et caecus omnibus sacramentum doloris fiebat, tamquam limpida irradiatio fidei, spei et caritatis. Mysterium paschale adeo diem eius informavit eumque ad maturitatem humanam et christianam duxit, ut ipse vero facultatem imitandi in carne et spiritu Dominum crucifixum tamquam donum acciperet. Indefessus apostolatu, operam cui nomen « Sinai » fundavit, quae infirmos et religiosorum monasteria inter se committebat, ut invicem subvenirent et dignitatem aegrotorum in societate confirmarent.

Fons et culmen spiritualitatis ac navitatis Emmanuelis semper fructuosior fuit participatio Eucharistiae. Ex eo quod operae piae « Discípulos de San Juan » membrum esset, ut Missam in domo eius celebraretur licentia concessa est; in prima celebratione Servus Dei machinam suam scriptoriam mensae, quae officio altaris fungebatur, subiungi voluit, quia ita « truncus crucis in ordine malleolorum infigitur et illic radices pandere potest », sicut in aliquo libro suo postea scribet.

Valetudo Servi Dei mox eo in gravius ruit, ut acerrimi dolores eius corpus citius exhaurirent. Emmanuel pie in Domino quievit die 3 mensis Novembris anno 1971, desperatione tormentorum victa et Oratione Dominica cum murmure vocis dicta.

Ob celebratam eius sanctitatis famam Episcopus Giennensis a die 5 mensis Novembris anno 1994 ad diem 21 mensis Aprilis anno 1996 beatificationis et canonizationis Causam inivit per celebrationem Inquisitionis dioecesanae, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 20 mensis Februarii anno 1998 probatae sunt. Positione confecta, die 17 mensis Novembris anno 2006 in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Servus Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Prospero exitu, Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 2 mensis Octobris anno 2007, audita relatione Excellentissimi Domini Lini Fumagalli, Episcopi Sabinensis-Mandelensis, Causae Ponentis, professi sunt Servum Dei Emmanuelem Lozano Garrido virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Emmanuelis Lozano Garrido, Christifidelis laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

BERYTEN.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Iacobi a Ghazir (in saec.: Khalil Haddad) Sacerdotis Professi O.F.M. Cap., Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium Crucis in Libano (1875-1954)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Iacobus, in saeculo Khalilius Haddad, in vico *Ghazir* in Libano die 1 mensis Februarii anno 1875 e familia maronitae traditionis profunde christiana natus est. Cursu studiorum completo, Fratribus Minoribus Capuccinis se sociare statuit, inter quos nomen religiosum accepit Iacobum a Ghazir. Presbyteratu auctus, tam pietate, paupertate, oboedientia et iucunditate emicuit, quam praesertim caritate erga infirmos, orphanos, senes, abiectos praestitit peculiarem adhibens benignitatem, quam in eo etiam civiles potestates agnoverunt consentientes. Congregationem Sororum Franciscalium Libani fundavit. Die 26 mensis Iunii anno 1954 pie in Domino quievit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 21 mensis Decembris anno 1992, Servum Dei virtutes theologales, cardinales et his adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem dominae Mariae Kattan, quae, infirmorum ministra, nunc emerita, anno 1998 conflationem quamdam in latere dextero cervicis conspicere coepit, una cum febris incremento, virium depressione et ponderis amissione. Biduo post, magis magisque in dies succrescente conflatione, chirurgicae sectioni commissa est. Examen histologicum, quod secutus est, maximam infirmitatis gravitatem revelavit, indolem malam illius tumoris eiusque strenuam periculosissimamque venae iugulari internae adhaerentiam. Aegrota insuper omnes chemicorum agentium radiationumve emissionis ope instructas curas renuerat, revocans immo vitium fumigationis, cui ex iuventutis tempore sine mora se subiecit. Prognosis ergo brevi tempore infausta dicta est.

Nepos quidam Mariae vero, ea insciente, divinum auxilium per intercessionem Servi Dei Iacobi de Ghazir pro sanatione amitae invocare coepit. Post studium textilium mulieris, cuius exitum omnes ei tacuendum putaverant, seduliores clinicae perscrutationes peractae sunt, quae nucleum primitivum tumoris necnon nova aliis in interioribus corporis membris oncomata revela-

rent. Effectus vero omnes negativi evaserunt, etiam quoad membra quae vulgo seu comperto in huiusmodi morbi adiunctis mutationes glandularum in lateribus cervicis gignunt. Nexus inter invocationem Servi Dei et sanationem Mariae Kattan clarissime patuit, quae etiamnum optima utitur valetudine et ordinariam vitam degit quod ad omnes attinet humanas relationes.

De hac mira aestimata sanatione inter dies 17 mensis Februarii et 8 mensis Novembris anno 2005 apud Curiam Beritensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 10 mensis Februarii anno 2006 probatae sunt. Dicasterii Collegium Medicorum in sessione diei 22 mensis Martii anno 2007 sanationem illius tumoris mali rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum scientiam medicam hodiernam fuisse affirmavit. Die 1 mensis Iunii anno 2007 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 2 mensis Octobris eiusdem anni Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Laurentio Chiarinelli, Episcopo Viterbiensi, et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Iacobi a Ghazir (in saec.: Khalil Haddad), Sacerdotis professi O.F.M. Cap., Fundatoris Congregationis Sororum Franciscalium Crucis in Libano, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione dominae Mariae Kattan a « neoplasia primaria occulta (NPO) con metastasi sopraclaveare destra di carcinoma epidermodiale, scarsamente differenziato, ad elevata attività mitotica ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

BOTRYEN. MARONITARUM

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Stephani Nehmé (in saec.: Iosephi) Fratris Professi Ordinis Libanensis Maronitarum (1889-1938)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Unum petii a Domino, hoc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae » (*Ps* 27, 4).

Servus Dei Stephanus Nehmé (in saec.: Iosephus) in Libanensi vico vulgo *Lehfed* regionis *Jibeil*, natus est ineunte mense Martio anno 1889 quartus inter sex filios e familia penitus religiosa Maroniticae traditionis. Eodem anno die quintodecimo mensis Martii baptizatus est.

Rudimenta spiritualis et culturalis institutionis tum apud familiam tum apud ecclesiam loci didicit. Inde a tenera aetate solitudini et recessui intentum se praebuit; adhuc adulescens intensum ostendit spiritum orationis et meditationis, ferventem manifestationem sui amoris erga Deum teneraeque dilectionis erga Virginem Mariam. Opus in agro et pascua bestiarum, quibus se dederat, nec non pacificum et uniformem naturae cursum, quo vitam gessit, veluti eremum fuisse censuit, praeludium vitae versus futurum vocationis indicem.

Saepe, cum amicis commorans, narrabat illis vitas sanctorum et, tam opere quam verbo, eos hortabatur ut parentibus et fratribus maioribus natu obtemperarent. Continua et frugifera fuit eius participatio eucharistica et Marialis Rosarii recitatio. Statura procerus et corpore robustus personalitatem maturabat vivaci ingenio insignitam atque sensu prudentiae, ponderationis et scientiae, quae cum spirituali eius libertate plane congruebant.

Sedecim annos natus, superans quandam familiae oppositionem, Iosephus novitius ingressus est Ordinem Libanensem Maronitarum apud claustrum Sanctorum Cypriani et Iustinae in oppido *Kfifane*: hic enim Stephani nomen assumpsit. In spirituali itinerario monachali Servus Dei plenam repperit adimpletionem consilii divini suarumque exspectationum. Vivens exstitit exemplum sincerae oboedientiae, authenticae paupertatis, laetae castitatis, spiritus mortificationis et asceticae vitae. Erga omnes promptum se proferens, circa se serenitatem diffundebat et affectum; ob suam benignitatem bene acceptus habebatur et ob suam sedulam vigilantiam praevenire poterat contentiones et difficultates intra religiosam communitatem. Cum suis con-

fratribus arte coniunctum se sentiebat, praesertim cum illis magis aetate provectis et cum infirmis, et bonam instituere poterat consuetudinem cum omnibus, ad pacem et reconciliationem in veritate, sinceritate et comitate iugiter incitans.

Totam per vitam remansit frater coadiutor et, humilitate ductus ac desiderio vitam absconditam gerendi, respuit ministerium ordinatum, quamvis a suis moderatoribus ob eius dotes spirituales et intellectuales idoneus iudicaretur. Variis in domibus Ordinis, quo saepe transferebatur, omnibus viribus se dedit operibus manufactis iuxta propriam competentiam; ulterius, ac saepe eodem tempore, lignarius exstitit et agricola, viridarius et murarius; attamen in singulis rerum adiunctis industrium et subridentem sese ostendit, plenam fovens concordiam cum omnibus rebus creatis, quas amplexabatur in constanti dispositione amoris universalis.

Fons eius vitae spiritualis idem esse potest ac conscientia vivendi in conspectu Dei, benigni et affabilis Patris, cuius dilectioni dociliter ac fiduciose se committebat. « Deus videt me!, Deus videt me! » ipse sibi et etiam ceteris repetere consueverat. Haec omnimoda in Dei dilectionem immersio in cotidiana et simplici vita transformabat eum in authenticum virum contemplativum.

Primum bellum mundanum, simul cum iacturis ob luctus et lacerationes, instabilem condicionem Libanensi quoque populo attulit. Domus religiosae apertae sunt ad excipiendos eos qui bellicis detrimentis vexati erant. Servus Dei, austera ac modesta sua indole praeditus, silentio et opere vires impendit pro indigentibus et damno affectis, summo spiritu servitii et rigido iustitiae sensu iugiter incitatus.

Bello composito, superiores munus crediderunt illi contentiones dirimendi respicientes vitam et opes pertinentes ad nonnullas religiosas domos: hac quoque occasione munus suum cum peritia et circumspectione exercuit, ita ut brevi tempore aequa obtineretur rerum solutio.

In singulis circumstantiis « verum monachum » se praebuit, perfectum scilicet exemplum vitae christianae, quam in laetitia gessit et liberalitate.

Annorum decursu quoddam leve indicium rheumatici morbi detectum erat. Mors tamen eius evenit ob insolationem, quae, initiis neglecta, in acutum febris statum mutata est; denique haemorrhagia cerebralis supervenit. In Domino obdormivit die 30 mensis Augusti anno 1938.

Quandoquidem sanctitatis fama diffundebatur, Episcopus Botryensis Maronitarum instruere coepit Causam beatificationis et canonizationis per cele-

brationem Inquisitionis dioecesanae, decurrentis a die 27 mensis Novembris ad diem 17 mensis Decembris anno 2001, cuius iuridicam auctoritatem approbavit Congregatio de Causis Sanctorum per Decretum editum die 26 mensis Aprilis anno 2002. Exarata Positione, iuxta consuetum modum procedendi, disceptatum est de virtutibus a Servo Dei heroico gradu exercitis. Consultorum Theologorum Congressus positivo cum exitu habitus est die 2 mensis Martii anno 2007. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria congregati die 16 mensis Octobris anno 2007, audita relatione Ponentis Causae, Em.mi D.ni Ignatii Moussa I S.R.E. Cardinalis Daoud, Praefecti Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, edixerunt Servum Dei Stephanum Nehmé heroico gradu theologales, cardinales eisque adnexas exsecutum esse virtutes.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Stephani Nehmé (in saec.: Iosephi), Fratris professi Ordinis Libanensis Maronitarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

VENETIARUM

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Annae Mariae Marovich ex Instituto Sororum a Reparatione Ss. Cordium Iesu et Mariae Immaculatae (1815-1887).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ad me quod attinet, semper sum illa consueta paupercula coram Deo ». Verba haec veluti compendium haberi possunt spiritualis vitae Servae Dei: dotibus enim humanis et spiritualibus ditata ita ut Venetiis censeretur una ex mulieribus inter magis doctas et conquisitas consilii ferendi causa, Serva Dei maxime eminuit sua eximia humilitate, qua ducebatur ad sese tantummodo « pauperem filiam » iudicandam. Venetiis orta est die 7 mensis Februarii anno 1815 e Dalmata familia; inde a pueritia singularem eucharisticam et reparatricem pietatem exhibuit. Unigenita, a parentibus summa diligentia instituta est, qui permiserunt eam spectabiles colere dotes naturales; adulescens tam Venetiis quam etiam extra urbem innotuit uti auctrix opellarum theatralium pietatis, carminum et epigrammatum, et uti pictrix. A iuvenili aetate subiecta est sub moderamine Rev.mi D.ni Danielis Canal, docti et pii presbyteri, in urbe et apud aulam imperialem Vindobonensem notissimi. A die suae Primae Eucharisticae Communionis Dei Serva sese Domino consecravit, eidem in vita religiosa servire cupiens. Postquam optimam renuerat uxoriam condicionem et reticentias parentum superaverat, adhuc in saeculo incubuit in profundae pietatis caritatisque vitam sub moderamine Rev.mi D.ni Canal. Vix viginti annos nata perfrequens epistulare suscepit commercium cum Patriarcha Venetiarum Cardinali Monico aliisque insignibus sacerdotibus. Eius vita communionis cum Deo extraordinariis quoque donis confirmabatur colloquii interioris et profunda perceptione eucharistica. Anno 1862 simul cum Rev.mo D.no Canal condidit Domum Rehabilitationis pro mulieribus e carcere dimissis; huius novi Instituti fuit, per socialis redemptionis opera, offensas Cordi Iesu inflictas reparare.

Anno 1867 Institutum eius se sociavit cum Instituto Piarum Dominarum a Domo Nazarethana, Mediolani condito a Servo Dei Carolo Salerio, presbytero dioecesano, sodali Seminarii Lombardi pro Missionibus Exteris.

Institutum Mediolanense eundem sibi proponebat finem, reparationem scilicet promovere per adorationem eucharisticam nec non auxilium ferre iuvenibus mulieribus derelictis: id est iuvenibus quae, in locum carceris, So-

roribus Publicae Iustitiae committebantur, quaeque e familiis in discrimine versantibus et e publicis viis proveniebant. Sorores catechismum docebant apud carceres et succurrebant mulieribus iuvenibus iisque in carcere detentis. Serva Dei professionem emisit apud Pias Dominas Reparatrices die 25 mensis Octobris anno 1868, quarum habitum et Regulam assumpsit.

Venetiis moderatrix domus ad vitam permansit, magni a patre Salerio ac plurimi a suis consororibus aestimata.

Ibidem sanctitatis, sapientiae et benignitatis fama fruebatur, ita ut sacerdotes quoque et praelati adirent eam consilium petituri. Ipsa tamen nihil aliud se reputavit nisi instrumentum in Dei esse manibus. Eius spiritualis vita summa fide, ferventissimo amore erga Iesum Eucharisticum, cotidianis actibus amoris et reparationis, magna oboedientia est intexta; semper subiecta mansit Rev.mo D.no Canal, presbytero Salerio et moderatrici domus Mediolanensis, ad quam uti simplex soror recurrebat.

Silentium praedilexit, modestiam, abditam vitam; ac de se ipsa loqui detestabatur. Serva Dei ita circumstantium animos permovebat ut eam putarent mulierem nimis inornatam et vulgarem: « Humilitas ex moribus eius translucebat, semper dimissis et eo simplicibus, ut studium quiddam appareret se tamquam animo deficientem ostendendi, ad dotes mentis cordisque velandas, quibus revera fruebatur ». Profundior autem eius cognitio faciebat ut magnitudo virtutis non communis in lucem proferretur.

Ob antiquum morbum in dies ingravescens, Serva Dei Venetiis obiit die 3 mensis Octobris anno 1887, fortiter complorata ac veneratione ornata Lacunari in Urbe, ubi diutinos per annos omnes suis miris virtutibus aedificaverat, praesertim humilitate et caritate, quae profundo adorationis et reparationis spiritu fulciebantur.

Fama sanctitatis qua Dei Serva in vita fruebatur, post eius mortem confirmata est. Anno 1926 exuviae Servae Dei e coemeterio Sancti Michaëlis sunt translatae in aversam partem Cappellae Sancti Vultus apud Institutum « Canal-Marovich », ubi sepultum quoque fuerat corpus Rev.mi D.ni Canal.

Processus dioecesanus inceptus est die 17 mensis Iulii anno 1926 et conclusus die 30 mensis Aprilis anno 1951. Die 27 mensis Ianuarii anno 1962 editum est Decretum super scriptis. Validitas Inquisitionis dioecesanae per decretum Congregationis de Causis Sanctorum die 16 mensis Decembris anno 1988 est confirmata. Deinde peracta est Inquisitio suppletiva super fama sanctitatis a die 30 mensis Septembris ad diem 31 mensis Octobris anno 1992; huius Inquisitionis validitas approbata est die 19 mensis Februarii

anno 1993. Apparata Positione, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum habitus est die 2 mensis Decembris anno 2005 faventem ferens sententiam. Patres Cardinales et Episcopi in Ordinaria Sessione congregati die 16 mensis Octobris anno 2007, Ponente Causae Exc.mo D.no Petro Georgio Silvano Nesti, P.C., Archiepiscopo emerito Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, agnoverunt Servam Dei Annam Mariam Marovich theologalium, cardinalium eisque adnexarum virtutum fastigium heroico gradu attigisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Annae Mariae Marovich, ex Instituto Sororum a Reparatione Ss. Cordium Iesu et Mariae Immaculatae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae ab Incarnatione (in saec.: Catharinae Sordini) Fundatricis Istituti Sororum ab Adoratione Perpetua Ss.mi Sacramenti (1770-1824).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Magdalena ab Incarnatione, in saeculo Catharina Sordini, in Portu Sancti Stephani, Grossetana in provincia, die 16 mensis Aprilis anno 1770 e familia vere christiana est orta. Ab infantia magnum experta est affectum erga Sanctam Eucharistiam. Septemdecim annos nata religiosam elegit vitam, monasterium ingrediens Clarissarum in loco *Ischia di Castro*, Viterbiensi in provincia. Institutum condidit sororum quae appellantur Adoratrices Perpetuae Sanctissimi Sacramenti, peculiari modo eucharistico cultui dicatae. Eversio Gallica et Napoleonis expeditiones magnum intulerunt discrimen in recens Institutum eiusque conditricem, ad incommoda et privationes coactam; vocationes tamen floruerunt atque opus paulatim increbruit. Serva Dei Romae, die 29 mensis Novembris anno 1824, pie in Domino obdormivit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, die 24 mensis Aprilis anno 2001, Servam Dei heroico gradu virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse declaravit.

Postulatio Causae, Servae Dei beatificationi prospiciens, examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram subiecit sanationem domini Ioannis de Dios Rodríguez Madrid, de Culiacanensi urbe, Mexici, qui, anno 1994 ex altitudine delapsus est, in terram caput vehementer allidens. Gravi capitis vulnere afflictus est cum relativa conscientiae amissione, vomitione ac per nares sanguinis effluvio. Licet urgentibus praestitis auxiliis in valetudinario, eius valetudinis condicio in deterius ruit, cum trepidam ob crisim iterum a lecto tomographi delapsus est. Quidam familiares et amici, funesta eius valetudinis condicione perpensa, consilium excipientes cuiusdam religiosae Adoratricis atque propinquae infirmi, divinum invocare coeperunt auxilium, per intercessionem Servae Dei Mariae Magdalenae ab Incarnatione, atque inter aegroti vestimenta nomisma quoddam cum eius imagine posuerunt. Sine ulla chirurgica sectione, tribus transactis a vulnere diebus, dominus Rodríguez Madrid signa melioris condicionis celeriter demonstrare coepit

atque sine mora plenam consecutus est mentis perspicuitatem. Sequentibus diebus dimissus est et sequentia clinica examina nullam ostenderunt pathologiam. Relatio evidenter apparuit inter invocationem ad Servam Dei et sanationem viri Ioannis de Dios Rodríguez Madrid, qui nunc fausta fruitur valetudine atque facultate ad normalem necessitudinis et affectus vitam gerendam.

De hac sanatione, quae mira est habita, inter dies 1 mensis Augusti et 20 mensis Octobris anno 2001 apud Curiam Culiacanensem Inquisitio dioecesana est instructa, cuius iuridicam validitatem haec Congregatio per decretum diei 4 mensis Octobris anno 2002 approbavit. Consilium Medicorum Dicasterii in sessione, die 14 mensis Octobris anno 2004 habita, declaravit sanationem a «gravi duplici vulnere capitis cerebri cum haemorrhagia subarachnoidali, contusionibus cerebri multiplicibus, fractura frontali-parietali, oedemate cerebrali diffuso et comate, in subiecto cum aethylismo diuturno», «celerem, perfectam, constantem, et ex hodiernis scientiae legibus inexplicabilem» fuisse. Die 28 mensis Iunii anno 2005 Peculiaris Congressus habitus est Consultorum Theologorum atque die 16 mensis Octobris anno 2007 Ordinaria Sessio acta est Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Andrea Maria Erba, Episcopo emerito Veliterno-Signino.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Magdalenae ab Incarnatione (in saec.: Catharinae Sordini), Fundatricis Instituti Sororum ab Adoratione Perpetua Ss.mi Sacramenti, videlicet de celeri, perfecta ac constanti sanatione viri Ioannis de Dios Rodríguez Madrid a «grave doppio trauma cranio-encefalico con emorragia subaracnoidea, contusioni encefaliche multiple, frattura frontoparietale, edema cerebrale diffuso e coma, in soggetto con etilismo cronico».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

MILETEN.-NICOTRIEN.-TROPIEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Francisci Mottola Sacerdotis dioecesani Fundatoris Instituti Saecularis Oblatarum S. Cordis (1901-1969).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« In Christo Iesu per evangelium ego vos genui » (*1 Cor* 4, 15).

Haec verba Beati Pauli apostoli, dum spirituale quoddam parentis munus in fide scienter affirmant, ad vitam et opera Servi Dei Francisci Mottola, qui tamquam exemplar dioecesani sacerdotis effulsit, usque redundant. Hic Servus Dei nobili, quamvis iam prolapso genere natus est Tropeae, in regione videlicet Catacensi, in Bruttiis, die 3 mensis Ianuarii, anno 1901, biduoque post baptismate sancto rite ablutus est.

Primam aetatem, quam ceterum ipse pia hominum societate degit, voluntarius matris interitus contristavit: qui quidem eventus ingenium pueri vehementer excruciavit, qui deinceps immatura fratris morte amplius exercitus est. Etiam propter haec animus adulescentuli, qui interea seminarium ingressus erat, procul dubio magis magisque conformabatur, non solummodo alacritate, intellegendi vi, poëtico spiritu, verum etiam magnis quibusdam exceptionibus, ut puta iracundia, nimia diligentia et severitate, sollicitudine, litium cupiditate, superbia. Attamen tempus, quo suo ipse ingenio excolendo operam dedit, vere palaestra conversionis fuit, qua adulescens, cum interiorem vitam corroboravit, tum, quid Deus de eo statuisset, gradatim adquisivit, adeo ut animus haud simplex ad actionem divinae gratiae promptus tunc inveniretur, cum Franciscus sacro presbyteratus ordine insignitus est.

Servus Dei in variis campis pastoralibus ministerium exercuit: nam idem sacras conciones habuit, sacramenta impertiit, pietatis magister fuit, litteris artique diurnariorum operam dedit, caritatem re adhibuit, incepta spiritualia et culturalia instruxit.

Cum autem factus esset rector seminarii dioecesani, in quo ipse praeceptor et animorum moderator antea fuerat, vigilans ac prudens iuventutis magister evasit, sed maxime auctor qui animos omnium inflammaret, idemque promptus cum ad dignoscendas temporum notas, tum ad quaerendas occasiones bene faciendi, quas quidem nova societatis fermenta postulabant.

Zelus eius expressus est etiam per varia incepta apostolica, quae ipse summo sese devovendi studio usque promovit. Nam idem pro certo semper affirmavit

non modo religionis sensum animique culturam nulla dilatione clero dioecesano penitus instauranda esse, quod quidem ipse fovit per fraterna concilia, precationis studiique causa habita, sed etiam laicos apostolicae navitati implicandos esse, utpote qui, tamquam fermentum, veram societatis progressionem efficerent.

Eminet in vita Francisci charisma oblativi amoris, quod ipse, dum id omnibus indefesse proponit, summa constantia exercuit. Ex hac iudicandi ratione intellegitur etiam cur ipse Actioni Catholicae operam navaverit multaque incepta promoverit, quibus voluntario munere infirmi, pauperes, senes, homines a vita sociali exclusi, orbati, inopes denique, re sublevarentur; sed etiam cur ipse pluries conatus sit quasdam formas congregationis sacerdotum vel laicorum creare, in quibus principem quidem locum obtinet Institutum saeculare Oblatarum a Sacratissimo Corde.

Servus Dei maxima scripta exaravit, in quibus ipse, dum animum praesertim ad res Ecclesiae Bruttiorum intendit, etiam ad maiora proposita de re theologica, ascetica, mystica spatiatur. Multae commentationes, quae ipsa elegantia animos legentium alliciunt, fidei fundamenta et facta eius temporis tradunt, dum sermonem cum hominibus, qui eo tempore erant, constanter conferunt, ideoque ingenii vim, animi hominem perspicaciam, gravem denique doctrinam auctoris ostendunt. Quae igitur ipse de animi cultura proposuit, cum eorum caput esset necessarie Christus, genuinum humanismum christianum breviter describere possunt.

Cum autem sacerdos hic per integrum vitae suae curriculum proelio contra indocilem naturam, qua ipse praeditus erat, numquam abstinuit, tum humanas eius exceptiones fides perfecit et superavit. Experientia, quam Servus Dei spirituali usu accepit, exstructa est circum nucleos quosdam, qui in hoc potiores habendi sunt. Ipse enim per orationem rerumque caelestium contemplationem fidenter divinae Providentiae se tradidit; summa religione Cor Iesu in eucharistico convivio prosecutus est, qui pietate quoque erga Deiparam claruit; caritatem, tum in Deum, tum in proximum, herois in modum exercuit; voluntaria sui ipsius refrenatione studioque aliis officia praestandi eminuit; denique humilem, severam, pudicam rationem vitae inivit.

Labentibus annis, infeliciter accidit ut precariae valetudinis indicia manifesta fierent, adeo ut morbus quidam, per viginti septem annos productus, dolorem assiduum ei afferret. Franciscus autem, animi tranquillitate gradatim adepta, precandi fervorem atque apostolicam navitatem adauxit, Christi passionibus, tamquam conscia victima, socius factus, Crucisque mysterium

amore ac simplicitate amplexus. Mox vero corporis dolores etiam aegrimoniae, eaeque propter aliorum invidiam et inclementiam, cumularunt, quibus animus eius valde afflictus est.

Servus Dei in patria mortuus est die 29 mensis Iunii, anno 1969.

Ob increbrescentem sanctimoniae famam Exc.mus Episcopus Nicotriensis-Tropiensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per Inquisitionem dioecesanam, a die 11 mensis Februarii anni 1982 ad diem 29 mensis Iunii anni 1988 conditam, cuius vim iuridicam haec Congregatio de Causis Sanctorum ratam duxit per decretum die 22 mensis Iunii, anno 1990, latum. Positione confecta, die 23 mensis Martii, anno 2007, habitus est Congressus Consultorum Theologorum, qui, postquam more tralaticio disputarunt num Dei Servus evangelicas virtutes in gradu heroico exercuisset, suam favorabilem aperuere sententiam. Amplissimus denique Purpuratorum Patrum et Antistitum Coetus, in Comitiis Ordinariis quae die 6 mensis Novembris, eodem anno 2007, gesta sunt, audita relatione Exc.mi D.ni Hieronymi Grillo, Episcopi emeriti Centumcellarum-Tarquiniensis, Causae Ponentis, agnoverunt Franciscum Mottola, Dei Servum, theologales et cardinales iisque adnexas virtutes, heroico quidem in gradu, exercuisse.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, subsignata die pronuntiavit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Francisci Mottola, sacerdotis dioeceseos Tropiensis, Fundatoris Instituti saecularis Oblatarum S. Cordis, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ALBIEN.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Ioannae Aemiliae de Villeneuve Fundatricis Sororum ab Immaculata Conceptione v.d. « de Castres » (1811-1854).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Serva Dei Ioanna Aemilia de Villeneuve nobili genere nata est Tolosae die 9 mensis Martii, anno 1811. Quae, cum facile moveretur proximi sui necessitatibus, tam spiritualibus, quam temporalibus, religiosae vitae se tradidit, egenis praesertim deserviens omnibusque illis qui re, corpore vel animo vexabantur. Ad quod propositum assequendum ipsa Congregationem Sororum ab Immaculata Conceptione, vulgo « de Castres », condidit, quae quidem et in Gallia et in terris illis, in quibus Evangelium nuntiabatur, paulatim diffusa est. Humilitate, studio orationis ac simplicitate, flagranti et assidua caritate eius pietatis cultus floruit. A saeculo migravit die 2 mensis Octobris, anno 1854, cholera morbo oppressa, quo ipsa implicita erat dummodo ingruente pestilentia aegrotantium curam haberet. Tam inclitam mulierem Ioannes Paulus II, Summus Pontifex, theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroicum in modum exercuisse declaravit die 6 mensis Iulii, anno 1991.

Propter eius beatificationem Postulatio Causae sanationem, quae divinitus, eadem Famula Dei deprecante, patrata ferebatur, huic Congregationi de Causis Sanctorum subiecit expendendam. Quae res pertinet ad adulescentulam Mahumetanam, e Monte Leonino, Bintam Diaby vocatam, quae, nitro caustico absorbito mortem sibi consciscere conata, gravia in variis apparatibus sibi detrimenta attulerat. Cum autem aegrota, in valetudinarium Barcinonense traducta, nulla interposita mora secta esset, quamvis aliae deinceps sectiones temptarentur, veterno correpta, in extrema iam phasi esse habita est. Interea, de hac re a quibusdam mulieribus medicinae addictis certiores factae, Sorores ac Noviciae ab Immaculata Conceptione, quarum sedes adversum praedictum valetudinarium surgit, novendialibus supplicationibus Dei Famulam prosecutae, nonnullas ipsius reliquias ad infirmae corpus apposuerunt. Hic vero, qualibet provisione decepta, cito visa est in melius se inclinare valetudo aegrotantis, quae quidem ad se rediit et perfecte convaluit. Constat enim concursum temporis et contextum esse inter supplicationes, quibus Dei Famula invocata est, et sanationem Bintae Diaby adulescentulae, quae nunc non optima dumtaxat valetudine utitur, sed iustam vitam degere potest, sive ipsa necessitudinem cum aliis habet, sive suo operi intenta est.

Qua de sanatione, pro miro habita, a die 16 mensis Maii ad diem 20 mensis Octobris, anno 2003, in Curia Barcinonensi Inquisitio dioecesana instructa est, aliis deinceps accedentibus argumentis, quorum vim iuridicam haec Congregatio ratam duxit per decretum die 4 mensis Februarii, anno 2005, latum. Consilium autem Medicorum, quod apud idem Dicasterium habetur, cum sederet die 16 mensis Februarii, anno 2006, pronuntiavit sanationem «a nitro caustico absorbito, quo quidem recta ratione morbus post sectiones gravior factus est», «celerrimam, perfectam, stabilem» fuisse, eandem vero «ex hodiernis artis cognitionibus explicari non posse». Subsequenti die 13 mensis Iunii, eodem videlicet anno 2006, Theologi Consultores in Peculiarem convenere Congressum; die autem 26 mensis Ianuarii, subsequenti anno 2007, Congressus alter, nempe ad alia quaedam perscrutanda, habitas est. Posthac die 5 mensis Octobris, eodem anno 2007, Cardinalium Patrum Episcoporumque Sessio Ordinaria, Exc.mo P. D. Lino Fumagalli, Sabinensi – Mandelensi Episcopo, Causae Ponente, gesta est. Et in utroque Coetu, tam Consultorum, quam Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta postmodum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per infrascriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, subsignata die pronuntiavit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Ioannae Aemiliae de Villeneuve, fundatricis Sororum ab Immaculata Conceptione v. d. «de Castres», videlicet de celerrima, perfecta stabilique sanatione adulescentulae Bintae Diaby a «stenosi faringo – esofagea complicata da emorragia gastrica per perforazione di ulcera da stress, con peritonite generalizzata e stato settico associato a sindrome da coagulazione intravasale disseminata, in paziente in stato terminale».*

Mandavit autem Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

MEDIOLANEN.

Beatificationis et canonizationis Servi Dei Seraphini Morazzone Sacerdotis dioecesani (1747-1822).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Laudetur Iesus Christus ». His simplicibus verbis christifideles paroeciae loci *Chiuso*, Leucensi in regione, suum parochum salutare consueverant, Servum videlicet Dei sacerdotem Seraphinum Morazzone, qui per undequinquaginta annos inter eos ministerium exercuit vitae sanctitate, oratione, humilitate ac deditione eminens. Mediolani die 1 mensis Februarii anno 1747 e Francisco et Anna Saldarini natus est. Hac in simplici et paupere familia Servus Dei infantiam et adulescentiam gessit doloribus signatam, paupertate atque gravibus familiaribus eventibus, praesertim praematura matris morte, sequentibus matrimoniis patris, frequentibus translationibus ad opus quaerendum. Rectam tamen accepit tum scholasticam tum moralem educationem, publicas frequentans scholas Collegii Brera; sacerdos fieri cupiens atque familiam iam pauperem iuvare coactus, anno 1760 veluti clericus in Mediolanensem aedem cathedralem est admissus, mane laborans, vespere vero curricula frequentans. Omnes sacerdotalis institutionis gradus perrexit usque ad diem 23 mensis Martii anni 1773, cum, usque clericus, in oppido *Chiuso*, prope Leucensem urbem, certamen vicit de assignanda paroecia Sanctae Mariae Assumptae. Die 18 mensis Aprilis anno 1773 ordines maiores sunt illi collati ac die 9 mensis Maii sacerdos est ordinatus. Sequenti die Servus Dei suam in paroeciam memorati oppidi ingressus est atque primam habuit eucharisticam celebrationem. Tempore illo paroecia ducentis circiter constabat fidelibus, plerumque agricolis et lacus piscatoribus. Ibi presbyter Seraphinus suum explevit usque ad mortem ministerium, paupere et austera vita excellens, assidua oratione, singulari humilitate, deditione erga pueros quibus scholam instituit atque oratorium, sollicitudine erga aegrotos, assidua sacramentorum administratione, praesertim Reconciliationis. Mox in regione de vita virtuosa dispersa est fama deque dotibus thaumaturgi illius humilis parochi, atque multi eius consilium quaerere coeperunt eiusque promptam in confessionali sollicitudinem. Sive pauperes et humiles gentes sive etiam illustres viri, uti Alexander Manzoni, sacerdotes et praelati eius sapientiae et pacis verba quaerebant. A suo Archiepiscopo Cardinali Iosepho Pozzobonelli maximi

est aestimatus: « Sanctus est sacerdos – de eo locuti sunt confratres qui ad eum suos mittebant fideles – magis Dei amicus quam aliorum ».

« Humilis, etiamsi id nesciebat », sicut Manzoni scripsit, paroeciale exercuit ministerium in simplicitate nec non perfecta cotidiana fidelitate: primo mane surgebat ut oraret et Missam celebraret; aegrotos singulis diebus visitabat quos extremis etiam subsidiis iuvabat; pueros et iuvenes congregabat et in schola edocebat; eosdem incitabat ut vespere luderent et orarent; in confessionali peccatores audiebat et in pauperrima canonica excipiebat omnes ab ipso consilium petituros.

Tempore quo Iansenii doctrina grassabatur, devotione eminuit erga Eucharistiam, instruens suos fideles ad frequentem communionem et adhortans ut fiduciose paternae Dei misericordiae se traderent.

Eius vita mirandis eventibus signata non fuit, quam tamen heroico ministerio fideliter diligenterque oblato impendit. Ab omnibus sanctus sacerdos considerabatur. Pro omnibus ille « bonus parochus loci *Chiuso* » factus est. Pie in Domino obdormivit, uti vixerat, die 13 mensis Aprilis anno 1822: « Mors eius – Manzoni scripsit – sollemnis eventus fuit et maestus: illis simplicibus hominibus videbatur universa terra esse permovenda quoniam insignis vir et iustus eam reliquerat ».

Diffusam ob sanctitatis famam, qua Servus Dei apud clerum et fideles circumdabatur, Curia Mediolanensis Processum Ordinarium celebravit annis 1864-1867; ob difficilem politicam religiosamque condicionem in qua Ambrosiana dioecesis versabatur, acta ad Romanam urbem non sunt missa; ac tantummodo anno 1951, de voluntate beati Cardinalis Ildefonsi Schuster, devotissimi erga Servum Dei, Processus additicius de sanctitatis fama est celebratus. Documenta Romam missa sunt. Die 24 mensis Maii anno 1958, praehabitis faventibus votis duorum Censorum Theologorum, Sacra Congregatio Rituum decretum edidit quo scripta Servi Dei approbavit, atque Positio typis est mandata. Anno 1972 vulgatae sunt Animadversiones Promotoris Generalis de Fide, quoniam ad historicam hortabatur inquisitionem persequendam ut quaedam lacunae in curriculo vitae Servi Dei explerentur, peculiari habita ratione eius annorum iuventutis. Eiusmodi Inquisitionibus expletis, Congregatio de Causis Sanctorum, die 29 mensis Ianuarii anno 1993, decretum vulgavit de processuum validitate. Parata Positione, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum die 20 mensis Aprilis anno 2007 faventem tulit sententiam. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria die 20 mensis Novembris eiusdem anni, Causae Ponente Excellentissimo

Domino Andrea Maria Erba, Episcopo emerito Veliterno Signino, edixerunt Servum Dei Seraphinum Morazzone virtutes theologales, cardinales eisque adnexas heroico gradu exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Seraphini Morazzone, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

VERONEN.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Vincentiae Mariae Poloni (in saec.: Aloisiae) Fundatricis Instituti Sororum a Misericordia Veronensium (1802-1855).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Vincentia Maria Poloni, virgo, in saeculo Aloisia, Veronae nata est die 26 mensis Ianuarii anno 1802. In Christi fide informata, ad vitam laboris, sacrificii et oblationis se comparavit et, praesertim pauperibus et aegrotis assiduam navans operam, sub spirituali moderatione Beati Caroli Steeb consilium inivit se Deo consecrare. Aliae tres ipsi se sociaverunt, e quibus, votis religiosis emissis, Institutum Sororum a Misericordia ortum est. Magno cum spiritu caritatis, profunditate interioris vitae ex alto, Serva Dei pro infirmis summopere enisa est, virtutes suas humanitatis, benignitatis ac consensus, necnon praestantis suae rerum peritiae et alacris habitus ordinationis, usquequaque ostendens. Tumore confecta, unionem suam cum Christi cruce consummavit die 11 mensis Novembris anno 1855.

Summus Pontifex Benedictus XVI, die 28 mensis Aprilis anno 2006, Servam Dei virtutes theologales, cardinales et his adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum assertam subiecit miram sanationem Virginiae Agostini, in saeculo Idae, virginis ex ipso Instituto a Serva Dei fundato, quae operariis officinae crustulorum praeerat. Ex fibromate uteri, cystibus ovariorum et tumore maligno papillarum valde laborata, annis 1937-1939, debillimis vero cum effectibus, plurimis chirurgicis sectionibus commissa est, quas immo secuta est progrediens infirmitatis depravatio. Vix gravitas morbi Sororis palam facta erat, ut qui sive intra sive extra communitatem eam noverant ad divinum auxilium per intercessionem Servae Dei fidenter confugere inciperent. Repente, placidam post noctem, religiosa sanata experrecta est. Continuatio temporis et nexus inter invocationem Servae Dei et sanationem Sororis Virginiae clarissime patuit, quae etiam tredecim annos optima valetudine utens vixit.

De hac mira aestimata sanatione inter dies 30 mensis Maii et 15 mensis Decembris anno 1994 apud Curiam Veronensem Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sancto-

rum decreto diei 7 mensis Aprilis anno 1995 probatae sunt. Dicasterii Collegium Medicorum in sessione diei 5 mensis Octobris anno 2006 sanationem illius « tumoris papillae levae provecti statu cum restauratione depravationis novarum formationum duobus mensibus post chirurgicam excisionem totius papillae, cum diffusa mutatione textilium » rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum scientiam medicam hodiernam fuisse affirmavit. Die 30 mensis Ianuarii anno 2007 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 20 mensis Novembris eiusdem anni Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Excellentissimo Domino Petro Georgio Silvano Nesti, Archiepiscopo emerito Camerinensi – Sancti Severini in Piceno et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Vincentiae Mariae Poloni (in saec.: Aloisiae) Fundatricis Instituti Sororum a Misericordia Veronensium, videlicet de repentina, perfecta et constanti sanatione Sororis Virginiae Agostini a « cancro del seno sinistro in stadio avanzato con ripresa della malattia neoplastica due mesi dopo l'intervento di mastectomia radicale, con metastatizzazione diffusa »*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

NOVARIEN.

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Petrae de Micheli (in saec.: Iosephae Mariae) Sororis Congregationis Filiarum Immaculatae Conceptionis a Bono Aëre (1890-1945).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« De te dixit cor meum: "Exquirite faciem meam!"; faciem tuam, Domine, exquiram. Ne avertas faciem tuam a me » (*Ps* 27, 8-9).

Huic antiqui psalmistae invocationi mire vita Servae Dei Mariae Petrae v.d. Petrinae De Micheli, in saeculo Iosephae Mariae, adhaesit, quae, Mediolani die 11 mensis Septembris anno 1890 nata, ultima ex tredecim filiis familiae cuiusdam medii ordinis burgensis religiose informatae, ad fontem baptismalem eodem die suo ducta est.

Eventus eminens infantiae eius praecox mors patris fuit, quae maestitiam quandam super totius eius personae maturationis tractum effusit. Vividum intellectum Iosepha mox ostendit, sed valetudo corporis, saepius aliqua infirmitate laborata, volventibus annis valde eam obstrinxit. Prima puerili institutione peracta, sartricis arti studuit, sed elementa culturalis eruditionis haud neglexit, quemadmodum violino cymbaloque et linguis externis vacans.

De spiritualibus bonis valde sollicita, iam inde ab adulescentia in paroecia sua catechesi pueris tradendae attendit, dum interim frater unus presbyteratu augebatur et sorores duae religiosae fiebant. Quorum exempla vocationem ad vitam religiosam in iam proclivi animo eius extollere valuerunt.

Post spatium temporis intimae animi reluctationis ob filialem sollicitudinem in matrem, dum vigesimum quartum annum agebat, tamquam novitia admissa est in Instituto Filiarum ab Immaculata Conceptione de Bono Aëre, quae nuper Mediolani insederant, nomen sumens Sororis Petrinae. Exinde titulum magistrae consecuta est, linguam latinam didicit atque linguarum et musicae studia perrexit. Primam professionem die 2 mensis Maii anno 1915 emisit. Anno 1919 in Domum Matrem Congregationis in Argentina missa est et anno 1921, post professionem sollemnem, Italiam rediit. In urbe sua natali novitiarum Magistrae ac Superiorissae vicibus functa est, donec, vertente anno 1939, Romae munus fundationem novae Domus curandi accepit, cuius Superiorissa facta est usque ad mortem, et anno 1940 mandatum etiam Superiorissae regionalis pro Italia explevit.

Iter Sororis Petrinae, cuius testimonium etiam plagulae libelli ab ipsa vergati praebent, plene in conspectu eius peculiaris devotionis erga Sanctum Vultum Iesu intellegi potest, quam vix adulescens Serva Dei iam animadvertit atque alacriter propagavit. Nam singularis hic Domini cultus Petrinae fuit fons consolationis in tribulationibus, causa oblationis reparatricis, vocatio ad orationem et ad contemplationem, fomentum adsiduum sanctitatis. In humano una et divino Vultu Redemptoris signa invenit immodicae dilectionis erga humanitatem peccatricem et fervido cum spiritu compassionis cupiit cum eo sollicitudinem pro salute animarum communicare.

Assidua in prece, saepius in adoratione Eucharistiae subsistebat, ex qua vitae virtutis vim et alimentum hauriebat. Pietas erga Beatam Mariam Virginem adeo constans fuit ei calcar imitationis, ut in eius spiritualitate clare eniteret fides firma et tenaciter in benignam inquisitionem voluntatis Dei intenta; caritas nava et praesertim in funestissimis eventibus belli eloquens; maturitas animi in tenaci quoque certamine contra aliquos indolis motus persecuta; prudens aequitas consilii; habitus humilis et oboediens omnibus in adiunctis; castimonia serena et libertas ex rebus perfecta.

Nec interioribus signis caruit Iesus, quae Servam Dei in eius diutino itinere perfectionis et apostolatus excitarent. Etiam vero iniquus hostis certis efficacibusque indiciis in vitam Sororis Petrinae nefastam suam praesentiam inhibere haud praetermisit.

In vico vulgo dicto *Centonara de Artò* in provincia Novariensi, quo, utpote Superiorissa regionalis pro Italia, expleto bello ad visitandas consorores adierat, Serva Dei febri typhoidi confecta est, quae praecipua fuit causa eius mortis. Die 26 mensis Iulii anno 1945, oculis ad imaginem Sancti Vultus deversis, pie in Domino quievit.

Ob celebratam eius sanctitatis famam Episcopus Novariensis a die 12 mensis Februarii anno 1962 ad diem 12 mensis Decembris anno 1968 beatificationis et canonizationis Causam inivit per celebrationem Processus Ordinarii Informativi dioecesani et a die 2 mensis Maii anno 1965 ad diem 17 mensis Februarii anno 1968 Processus Rogatorialis apud Romanum Vicariatum, quorum auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum decreto diei 20 mensis Martii anno 1992 probatae sunt. Positione confecta, die 13 mensis Decembris anno 2005, prospero exitu, in Congressu Peculiari Consultorum Theologorum disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Patres Cardinales et Epis-

copi in Sessione Ordinaria diei 20 mensis Novembris anno 2007, audita relatione Eminentissimi Domini Angeli Cardinalis Comastri, Archipresbyteri Pontificiae Basilicae Vaticanae, Causae Ponentis, professi sunt Servam Dei Mariam Petram De Micheli virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Petrae v.d. Petrinae De Micheli (in saec.: Iosephae Mariae), Sororis Congregationis Filiarum Immaculatae Conceptionis a Bono Aëre, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

BIALOSTOCEN. olim VILNEV.

Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Michaëlis Sopoćko Sacerdotis dioecesani (1888- 1975).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Servus Dei Michaël Sopoćko die 1 mensis Novembris anno 1888 in *Juszewszczyzna*, in Polonia, natus est. Presbyter ordinatus, post primum pastoralis ministerii tempus Varsaviam se contulit ut theologiae et paedagogiae curricula prosequeretur. Quibus expletis varia obiit munera: spiritalis exstitit moderator et professor in Seminario, superior cuiusdam rectoriae, religiosarum confessarius. Hac usus occasione cognovit et spiritaliter moderatus est sanctam sororem Faustinam Kowalska, quacum operam communicavit in nuntio de Divina Misericordia diffundendo. Congregationem condidit Sororum Iesu Misericordis. Bialostocensi in urbe in Domino die 15 mensis Februarii anno 1975 pie obdormivit.

Postulatio Causae, Servi Dei beatificationi prospiciens, examini huius Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram subiecit sanationem Seminarii tironis, Marii Jabłoński, viginti annos nati, alumni Seminarii Maioris Bialostocensis, qui, fortem ob depressionem se ipsum vita privare volens, mane diei 24 mensis Ianuarii anno 1993 talem veneni v.d. *Lizol* portionem sumpsit quae omnino mortifera considerabatur. Primis detectis signis veneficii, iuvenis in valetudinarium est exceptus versans in statu semiconscientiae. Omissa lavatione gastrica, valetudo eius in deterius ruit, quoniam amissione conscientiae, crisi respirationis, convulsionibus, pallore cutis ac myosi rigida affectus est. In sedem reanimationis translatus, fistulis respiratoriis subiectus est atque ventilationi mechanicae cum prognosi admodum reservata.

Vesperi eiusdem diei in sacello Seminarii per intercessionem Servi Dei, olim professoris eiusdem Instituti, pro Marii sanatione preces effundi coeptae sunt recitando quoque Coronam et Litanias Divinae Misericordiae; quibus precibus sociatae sunt Sorores Congregationis Iesu Misericordis. Noctu patiens repente convalere coepit, conscientiam recuperans et respirationem. Sequentibus diebus eius condiciones in melius verterunt ita ut iam sanatus haberetur, quapropter dimissus est e valetudinario die 5 mensis Februarii. Post eiusmodi eventum residua nociva ex temporis intervallo non apparuerunt.

Evidens visus est temporis nexus inter invocationem intercessionis Servi Dei et sanationem Marii Jabłoński, qui nunc optima fruitur corporis animique valetudine, et aptus est ad normalem vitam affectuum et laboris gerendam.

De hoc casu miro considerato, acta est ab die 16 mensis Aprilis ad diem 28 mensis Maii anno 2002 apud Curiam Bialostocensem Inquisitio dioecesana, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione per decretum diei 1 mensis Octobris anno 2004 est approbata. Consilium Medicorum huius Dicasterii in Sessione die 12 mensis Octobris anno 2006 habita agnovit sanationem a « veneficio caustico (v.d. *Lizol*) cum toxica locali et ordinata actione celerem, perfectam, constantem et ex scientiae legibus nostrae aetatis inexplicabilem » fuisse. Die 1 mensis Iunii anni 2007 Congressus habitus est Peculiaris Consultorum Theologorum, cuius favens exitus confirmatus est quoque a Patribus Cardinalibus et Episcopis, in Sessione Ordinaria die 5 mensis Decembris anno 2007 congregatis, Causae Ponente Excellentissimo Domino Rino Fisichella, Rectore Magnifico Pontificiae Studiorum Universitatis Lateranensis.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servi Dei Michaëlis Sopoćko, Sacerdotis dioecesani, videlicet de repentina, perfecta et constanti sanatione Marii Jabłoński a « avvelenamento caustico (*Lizol*) con azione tossica locale e sistemica ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

IOSEPHUS card. SARAIVA MARTINS
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Iosephinae a Iesu Crucifixo (in saec.: Iosephinae Catanea) Monialis Professae Ordinis Carmelitarum Discalceatarum (1894-1948).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Iosephina a Iesu Crucifixo (in saeculo: Iosephina Catanea) Neapoli die 18 mensis Februarii anno 1894 nata est. Ordinem Carmelitarum Discalceatarum ingressa in monasterio Sanctae Mariae ad Pontes Rubros in eadem natali civitate, consecrationem suam summa cum benignitate vixit, licet gravium diuturnarumque infirmitatum crucem studiosissime deferret. Virtutibus charismatibusque suis rapti, permulti ad preces et consilia eius confugiebant. In extremis vitae suae diebus superiorissa etiam fuit communitatis. Magna ac solida sanctitatis fama circumfusa, die 14 mensis Maii anno 1948 Patris caelestem domum rediit.

Eodem anno mortis, Causa beatificationis et canonizationis iniit et die 3 mensis Ianuarii anno 1987 Summus Pontifex Ioannes Paulus II Servam Dei virtutes theologales, cardinales et his adnexas heroico gradu coluisse decrevit.

Beatificationis respectu, Causae Postulatio iudicio huius Congregationis de Causis Sanctorum nuper assertam subiecit miram sanationem infantis Francisci Natale, duos menses aetatis agentis, qui iam ad ortum eo asphyxiam cum cordis pulsu et respirationis absentia ostendebat ut biduo in machina incubationis per oxygeni inductionem aliaque remedia halitus degisset.

Quibus curis expletis, post duas hebdomadas ab ortu, provecta valetudine, a nosocomio dimissus est, sed, altero mense vitae, die 19 mensis Iunii anno 1999, iterum acutae respirationis difficultatis causa in aliud nosocomium Neapolitanum protinus receptus est. Infans cyanosim ostendebat, respirationis absentiam, musculorum relaxationem, reactionis defectum et fletum querulum. Postridie, die 20 mensis Iunii, condiciones vero in gravius ruerunt, cum convulsionum signa pusillus ostendere coepit. Clinicae investigationes in utroque hemispherio cerebrali diffusas protulerunt laesiones, punctura lumbaris vero magnam pressionem liquoris ob nimiam sanguinis tensionem in cranio et oedema cerebrale exhibuit.

Condiciones infantis gravissimae erant. Prognosis infausta quoad valetudinem iam dicebatur, cum magna nocumenta in cerebro praeciperentur. Vespere diei 21 mensis Iunii, parvuli parentes una cum communitate Carmeli-

tarum monasterii Sanctae Mariae ad Pontes Rubros, ubi corpus Matris Mariae Iosephinae a Iesu Crucifixo sepultum est, divinum auxilium per intercessionem eiusdem Servae Dei invocare coeperunt. A die 24 mensis Iunii Franciscus insperate convalescere coepit, nec postea aliae convulsiones occurrerunt, sicut et eadem organa sensoria mire integra apparuerunt. Et cum valetudo eius exinde rapide ac constanter profecisset, die 5 insequentis mensis Iulii puer e nosocomio dimissus est.

De hac extemplo mira aestimata sanatione annis 2004-2005 apud Curiam Archidioecesis Neapolitanae Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius auctoritas et vis iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum probatae sunt. Dicasteri Consilium Medicorum in sessione diei 27 mensis Aprilis anno 2006 sanationem rapidam, completam, duraturam et inexplicabilem secundum scientiam medicam ob celeritatem resolutionis et totalem effectuum infirmantium absentiam fuisse affirmavit. Die 1 mensis Decembris eiusdem anni Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum factus est et die 15 mensis Maii huius anni 2007 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Ponente Causae Exc.mo Domino Xaverio Echevarría Rodríguez, Episcopo titulari Cilibiensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo divinitus patrato constaret, responsum affirmativum prolatum est.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato per intercessionem Ven. Servae Dei Mariae Iosephinae a Iesu Crucifixo (in saec.: Iosephinae Catanea), Monialis professae Ordinis Carmelitarum Discalceatarum, videlicet de rapida, completa ac duratura sanatione infantis Francisci Natale a « grave encefalite in neonato di due mesi con pregressa asfissia perinatale, con sindrome convulsiva prolungata, stato di shock e marcata compromissione generale ».*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 17 mensis Decembris A. D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et canonizationis Servae Dei Antoniae Meo v.d. «Nennolina» Puellae (1930-1937).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Sinite parvulos venire ad me. Ne prohibueritis eos; talium est enim regnum Dei» (*Mc* 10,14).

Et sane Antonia Meo, Dei Famula, quae, quo iunior aetate, eo fide maturior fuit, Iesu obviam se dedit atque divino Cordi Eius, qui eidem Amicus et Frater exstitit, teneram vitam suam magna cum fiducia commendavit.

Antoniola, vulgo Nennolina, Romae die 15 mensis Decembris, anno 1930, piissimo genere medii ordinis nata est, extrema quattuor liberorum, quorum duo ante eius ortum pueri obierant; subsequenti vero die 28 mensis Decembris baptismate sancto rite abluta est.

Cum autem adolesceret, praeter hilaram naturam magnamque sagacitatem, mox etiam vividum studium ostendit, cum sacrarum caeremoniarum, tum quarundam popularium religionum, quas domestica consortio eius animo altius defixerat. Ea enim rerum hominumque complexione, puella magis magisque scienter tam precationem, quam Dei voluntatem, quomodo scilicet de hac sibi indagandum esset, experiri coepit. Porro ipsa, exemplum a suis sumens, humanitatem ac sollicitudinem in proximum, pauperes potissimum, ostendit.

Mense Octobri, anno 1934, ludum pueritiae Sororum Missionariarum Zelatricum S. Cordis frequentare coepit, postquam menses aliquot alius ludi pueritiae alumna fuit. Mira addiscendi retinendique facilitas, alacres urbanique mores, prompta sinceritas ei erant. Subsequenti anno eadem nomen professa est in puellas iuniores ab Actione Catholica Italica; nec multum spatium intercessit cum ipsa indicavit se primum ad cenam Dominicam admitti cupere, ita ut mater, cum animadverteret puellam consciam esse, eam christianae doctrinae elementis imbueret.

Mense autem Februario, anno 1936, primum Antoniola declaravit se ex laevo genu laborare; nam dolores e sarcomate increscenti oriebantur. Ad primum hoc doloris experimentum mater eam instituit, quae, de Iesu Passione locuta, filiolam hortata est ut, cum Eo coniuncta, dolorem aequo animo acciperet. Licet autem variae curae adhiberentur, parvulae valetudo celerri-

me ingravescere coepit, ita ut die 25 mensis Aprilis, eodem anno, crus ei amputandum esset; pro quo deinde prothesis subiecta est, qua nempe nixa puella deambulare valeret.

Ea quidem spiritus maturitate, quae illius aetati esset insolita, parvula infirma acerrimas medicationes subiit, cuncta propter Iesu amorem ferens: nam in ea, divina gratia opitulante, cognitio de salvifico doloris momento magis in dies informabatur.

Postquam autem e valetudinario dimissa est, puella sua communia negotia, lusum, familiaritates, studium resumpsit, dum eius ingenium iucunditate, simplicitate, magnanimitate, moderatione denique et aequitate significatur. Hisce vero temporibus, quas postea sua ipsa manu exaratura erat, matri dictare coepit litterulas ad Iesum, ad Sacrosanctam Trinitatem, ad Beatissimam Mariam Virginem, in quibus, praeter sententias quasdam, Iesu Passione plerumque excitatas, sincera vita interior, aequo fidentique animo divinae voluntati concredita, animadvertitur. Die 10 mensis Octobris ludum litterarum frequentare coepit. Nocte autem Nativitatis primum ad cenam Dominicam admissa est; postmodum vero, die 15 mensis Maii, anno 1937, sacro chrismate rite obsignata est.

Attamen tunc primum labores inceperant: nam ipsa gravius in dies aegrotare coepit, cum corpus debilitaretur gravi cibi fastidio, peripneumonia, cystis inflammatione, sarcomate denique, quod iam in phasi provecta versabatur. Ingravescentibus autem cruciatibus, qui etiam ex acribus curationibus aliisque sectionibus oriebantur, omni tempore parva infirma recti exempli fuit, ita ut, quicumque eam visitabant, iidem eius animi lenitatem et constantiam valde admirarentur.

Simpliciter atque scienter Antoniola viam crucis percurrit eademque, cum Iesu et ad Eius similitudinem, dummodo peccatores ad bonam frugem revocarentur, magno animo semetipsam Deo obtulit, adeo ut peteret ne preces pro sua sanatione mitterentur. Sic enim puella, dum sese praecoci pietate conspicuam esse demonstrat, arcanam actionem divinae gratiae pro viribus adiuvit, quam quidem Dominus abscondit a sapientibus et prudentibus huius mundi, ut revelet parvulis.[20]

Tandem innocens anima, Iesu amore capta, Romae die 3 mensis anno 1937, dum nomen Dei et parentum invocabat, requievit. Ita suavissima rosa in ara caeli collocabatur.

[20] Cfr *Mt* 11, 25.

Ob increbrescentem sanctimoniae famam, qua inde ab ipso exsequiarum die eminuit, apud Vicariatum Urbis primum Processus Ordinarius Informativus, a die 7 mensis Aprilis, anno 1968, ad diem 23 mensis Martii, anno 1972, conditus est; deinde Inquisitio dioecesana, a die 15 mensis Maii, anno 2000, ad diem 14 mensis Aprilis, anno 2002, instructa est. Quorum et singulorum processuum vim Congregatio haec ratam habuit per decretum die 20 mensis Februarii, anno 2004, latum. Positione confecta, more tralaticio disceptatum est num Dei Famula omnes et singulas christianas virtutes, eaque heroum in modum, exercuisset. Hinc die 2 mensis Octobris, anno 2007, habitus est, favorabili quidem cum exitu, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria congregati die 5 mensis Decembris eodem anno 2007, audita relatione Exc.mi D.ni Laurentii Chiarinelli, Episcopi Viterbiensis, Causae Ponentis, agnoverunt Antoniam Meo, Dei Famulam, theologales et cardinales iisque adnexas virtutes, eamque heroicum in modum, exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Benedicto XVI per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Beatissimus Pater, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, subsignata die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Antoniae Meo, v. d. «Nennolina», puellae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Mandavit autem Beatissimus Pater ut praesens decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 17 Decembris A.D. 2007.

Iosephus card. Saraiva Martins
Praefectus

L. ✠ S.

✠ Michaël Di Ruberto
archiep. tit. Biccarensis, *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

SANCTAE MARIAE ANGELORUM

De Nominis Vulgaris Mutatione

DECRETUM

Multum conferre potest ad pastoralem curam aptius exercendam varietatis compositionis populi Dei necnon psychologicorum, geographicorum historicorumque personarum locorumve adiunctorum rationem habere.

Idcirco Exc.mus P. D. Petrus Philippus Bacarreza Rodríguez, Episcopus Sanctae Mariae Angelorum, preces enixe porrexit ut praesenti Sanctae Mariae Angelorum dioecesis appellationi nomen vulgare eiusdem aequatum sit.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Iosephi Pinto, Archiepiscopi titulo Anglonensi et in Chilia Apostolici Nuntii, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice, Benedicto, divina Providentia PP. XVI tributarum, porrectis precibus annuendum censuit.

Eadem Congregatio, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, decernit ut, in posterum, illius dioecesis eiusque Praesulis Ordinarii loci titulus vulgaris ac denominatio « Santa María de Los Ángeles » sit.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum Apostolicum Nuntium vel, ipso a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Chilia gestorem, necessarias et opportunas eisdem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 21 mensis Februarii anno 2009.

✠ Ioannes Baptista card. Re
Praefectus

✠ Franciscus Monterisi
a Secretis

L. ✠ S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 1118/2008

PROVISIO ECCLESIARUM

die 7 Februarii. 2009. — Cathedrali Ecclesiae Villaricensi, R.D. Franciscum Xaverium Stegmeier Schmidlin, e clero dioecesis S. Mariae Angelorum, hactenus in archidioecesi Sanctissimae Conceptionis Seminarii Rectorem.

die 11 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Divinopolitanae, R.D. Tharsicium Nascentes dos Santos, e clero archidioecesis Nictheroyensis, hactenus eiusdem archidioecesis paroeciae vulgo « Nossa Senhora de Fatima em São Gonçalo » dictae parochum.

die 12 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Tuxpaniensi, Exc.mum P.D. Ioannem Navarro Castellanos, hactenus Episcopum titularem Capitis Cillensis et Auxiliarem Acapulcanum.

die 13 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Bucaramanguensi Exc.mum P.D. Ismaelem Rueda Sierra, hactenus Episcopum Succursensem et Sancti Ægidii.

die 16 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cavaillonensi, R.D. Christophorum Zadarko, e clero dioecesis Coslinensis-Colubreganae, ibique hactenus Officialem Curiae Dioecesanae, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 18 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Florumpratensi, Exc.mum P.D. Iosephum Negri, P.I.M.E., hactenus Episcopum titularem Puppitanum et Auxiliarem archidioecesis Florianopolitanae.

— Abbatiae territoriali Beatae Mariae Virginis Maris Stellae, R.D. Anselmum van der Linde, O.Cist., hactenus in Collegio Sancti Bernardi eiusdem Monasterii Magistrum atque Congregationis Cisterciensis Augiensis a secretis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thibaritanae, R.D. Matthiam Heinrich, e clero archidioecesis Berolinensis, ibidem hactenus « de personis in cura pastorali operantibus » Vicarium Episcopalem atque Capituli metropolitani canonicum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 21 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Sedinensi-Caminensi, Exc.mum P.D. Andream Dzięga, hactenus Episcopum Sandomiriensem.

die 23 Februarii. — Metropolitanae Ecclesiae Neo-Eboracensi, Exc.mum P.D. Timotheum Michaëlem Dolan, hactenus Archiepiscopum Milvaukiensem.

die 25 Februarii. — Praelaturae territoriali Cristalandiensi, R.D. Rodulfum Aloisium Weber, e clero archidioecesis Portalegrensis in Brasilia, hactenus paroeciae Dominae Nostrae Gratiarum apud *Gravataí* curionem.

die 27 Februarii — Metropolitanae Ecclesiae Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, Exc.mum P.D. Oranum Ioannem Tempesta, O.Cist. hactenus Archiepiscopum Belemensem de Pará.

die 2 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Biloxiensi, Exc.mum P.D. Rogerum Paulum Morin, hactenus Episcopum titularem Aulonitanum et Auxiliarem archidioecesis Novae Aureliae.

die 4 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Cachoëirensi, R.D. Edson Taschetto Damian, e clero dioecesis Sanctae Mariae, hactenus in dioecesi Roraimensi actionis pastoralis moderatorem.

— Cathedrali Ecclesiae Tocantinopolitanae, R.D. Ioannem Pereira de Melo, e clero dioecesis Rondonopolitanae, hactenus paroeciae vulgo *Nossa Senhora Aparecida* curionem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 9 febbraio, S.E. il Sig. LUIZ FELIPE DE SEIXAS CORRÊA, Ambasciatore del Brasile;

Giovedì, 12 febbraio, S.E. il Sig. TIMOTHY ANDREW FISCHER, Ambasciatore di Australia.

Ha altresì ricevuto in Udienza:

Giovedì, 19 febbraio, S.E. il Sig. GORDON BROWN, Primo Ministro della Gran Bretagna;

Venerdì, 27 febbraio, S.E. il Sig. MASUD BARAZANI, Presidente della Regione Autonoma del Kurdistan Iracheno;

Sabato, 28 febbraio, Sua Beatitudine KRYŠTOF, Metropolita delle Terre Ceche e di Slovacchia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Il Santo Padre Benedetto XVI ha promosso, nel Collegio dei Cardinali:

24 febbraio 2009 L'Em.mo Sig. Card. José Saraiva Martins, Prefetto emerito della Congregazione delle Cause dei Santi, assegnandoli il Titolo della Chiesa Suburbicaria di Palestrina, *all'Ordine dei Vescovi.*

» » » L'Em.mo Sig. Card. Agostino Vallini, Suo Vicario Generale per la Diocesi di Roma, conservandogli la Diaconia di San Pier Damiani ai Monti di San Paolo, elevata «pro hac vice» a Titolo Presbiterale, *all'Ordine dei Presbiteri.*

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

7 febbraio 2009 S.E.R. Mons. James Patrick Green, Arcivescovo titolare di Altino, Nunzio Apostolico in Sud Africa, Lesotho e Namibia, *Nunzio Apostolico in Botswana.*

19 febbraio 2009 S.E.R. Mons. Paul Richard Gallagher, Arcivescovo titolare di Holdem, finora Nunzio Apostolico in Burundi, *Nunzio Apostolico in Guatemala.*

21 » » Il Rev.do Mons. Joseph Spiteri, finora Consigliere di Nunziatura presso la Sezione per i Rapporti con gli Stati, elevandolo in pari tempo alla sede titolare di Serta, con dignità di Arcivescovo, *Nunzio Apostolico in Sri Lanka.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato:

9 febbraio 2009 L'Ill.mo Dott. Giovanni Amici, finora Vice Direttore, *Direttore dei Servizi Generali del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano*; l'Ill.mo Dott. Ing. Luigi Salimbeni, finora Aiutante di Studio nella Sezione Ordinaria dell' Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, *Vice Direttore delle Telecomunicazioni del Governatorato dello Stato della Città del Vaticano.*

17 » » Sua Beatitudine Fouad Twal, Patriarca di Gerusalemme dei Latini, e gli Ecc.mi Mons. Ján Babjak, Arcivescovo Metropolita di Prešov dei cattolici di rito bizantino, Berhaneyesus Demerew Souraphiel, Arcivescovo Metropolita di Addis Abeba, Basil Myron Schott, Arcivescovo Metropolita di Pittsburgh dei Bizzantini, *Membri della Congregazione per le Chiese Orientali « ad quinquennium ».*

» » » Gli Em.mi Sig. Card. Francis Arinze, Godfried Danneels, Józef Glemp, Bernard Francis Law, Milosvav Vlk, Aloysius Matthew Ambrozic, Walter Kasper; *Membri della Congregazione per le Chiese Orientali « usque ad octogesimum aetatis annum »*; inoltre gli Em.mi Sig. Card. Dionigi Tettamanzi, Christoph Schönborn, Francis Eugene George, Karl Lehmann, Jean-Louis Tauran e gli Ecc.mi Mons. Piero Marini e Antoine Audo, *Membri del suddetto Dicastero « in aliud quinquennium ».*

18 » » La Dott.ssa Claudia Montuschi, il Dott. Delio Vania Proverbio, finora Assistenti, *« Aiuto Scriptor » della Biblioteca Vaticana.*

24 » » L'Ecc.mo Mons. Francesco Gioia, Arcivescovo emerito di Camerino-San Severino Marche, *Delegato Pontificio per la Basilica di Sant'Antonio in Padova, usque ad septuagesimum quintum annum aetatis.*

» » » L'Ecc.mo Mons. Pier Luigi Celata, *Segretario del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso usque ad septuagesimum quintum annum aetatis.*

24	febbraio	2009	L'Ecc.mo Mons. Brian Farrell, L.C. *Segretario del Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani «in aliud quinquennium».*
»	»	»	L'Em.mo Sig. Card. Zenon Grocholewski, *Prefetto della Congregazione per l'Educazione Cattolica* (*dei Seminari e degli Istituti di Studi*) *«in aliud quinquennium».*
»	»	»	Il Rev.do Mons. Angelo Vincenzo Zani, *Sotto-Segretario della Congregazione per l'Educazione Cattolica (dei Seminari e degli Istituti di Studi) «in aliud quinquennium».*
»	»	»	L'Em.mo Sig. Card. Stanisław Riłko, *Presidente del Pontificio Consiglio per i Laici «in aliud quinquennium».*
»	»	»	L'Ecc.mo Mons. Josef Clemens, *Segretario del Pontificio Consiglio per i Laici «in aliud quinquennium».*
»	»	»	L'Ill.mo Prof. Guzmán Carriquiry, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per i Laici «in aliud quinquennium».*
»	»	»	L'Ecc.mo Mons. James Michael Harvey, *Prefetto della Casa Pontificia «in aliud quinquennium».*
»	»	»	L'Ecc.mo Mons. Vittorio Lanzani, *Delegato della Fabbrica di San Pietro «donec aliter provideatur».*
»	»	»	L'Ecc.mo Mons. Gianfranco Girotti, *Reggente della Penitenzieria Apostolica «usque ad septuagesimum quintum aetatis annum».*
»	»	»	L'Em.mo Sig. Card. Attilio Nicora, Presidente dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica, *fino al compimento del 75º anno di età.*
26	»	»	L'Ill.ma Sig.ra Mary Ann Glendon, *Presidente della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali «in aliud quinquennium».*
28	»	»	L'Ecc.mo Mons. Antonio Maria Vegliò, Arcivescovo titolare di Eclano, finora Segretario della Congregazione per le Chiese Orientali, *Presidente del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Iteneranti.*

NECROLOGIO

10	febbraio	2009	Mons. Serafin Vázquez Elizalde, Vescovo em. di Ciudad Guzmán (*Messico*).
11	»	»	Mons. Philippe Kourouma, Vescovo em. di N'Zérékoré (*Guinea*).
16	»	»	Il Sig. Card. Sthephen Kim Sou-hwan, del Titolo di San Felice da Cantalice a Centocelle.
17	»	»	Mons. Andrew Chih-ch'un Tsien, Vescovo em. di Hualien (*Cina*).
19	»	»	Mons. Thomas J. Welsh, Vescovo em. di Allentown (*Stati Uniti d'America*).
21	»	»	Mons. Jean Rémond, Vescovo tit. di Utimma, Ausiliare em. della Mission de France (*Francia*).
»	»	»	Mons. Zef Simoní, Vescovo tit. di Bararo e Ausiliare em. di Shkodrë (*Albania*).
3	marzo	»	Mons. Luis Mena Arroyo, Vescovo tit. di Sinidi e Ausiliare em. di México (*Messico*).
6	»	»	Mons. Silvio Cesare Bonicelli, Vescovo em. di Parma (*Italia*).